



*Disputatio XIV*

Continens *duodecim* Articuli IX

De Descensu Christi  
ad Inferos.

PRO FORMVLA  
CHRISTINÆ CON-  
CORDIÆ.

*Quam*

Moderatore S. S. Spiritu

SVB PRAESIDIO

*Reverendi & Clarissimi Viri,*


Dn. LEONHARTI HVT-  
TERI, S. S. THEOLOGIAE DOCT.  
& Professoris in celebri Academia VVite-  
bergensi Publ. in Collegio disputationum  
Theologicarum privato proponit  
& exhibet

M. PETRUS HINKELMANUS  
Rostochiensis,

*Ad diem 18. Februar. horis pomeridianis.*

VViteb. Ex Officina Cratoniana, An. 1604.





GENEROSO AC IL-  
LUSTRI DOMINO, Dn. CHRISTO-  
PHORO L. BARONI à RAPPACH, DOMINO  
IN PRUNN & BETTLAVV: Domino ac Discipulo  
suo, officioso honoris cultu, & sincero amoris  
affectu, suspiciendo & prosequendo:


*Reverendo, Doctrinâ & rerum usu  
Clarissimo viro,*

Dn. DAVIDI RVNGIO S. S. THEO-  
LOGIÆ DOCTORI, ET PROFESSORI IN ALMA  
VVitebergensi Academiâ Publico, Domino Præ-  
ceptori ac Promotori suo æternam  
colendo:

*Hæc sua Themata Theologica, ὀρθοδοξίαν Articuli Aposto-  
lica fidei, de Descensu Christi ad inferos, continentia in sub-  
missa observantia τρυφήν, & debita grati-  
tudinis monumentum*

D. I. C.

Respondens.



ΣΥΝΟΛΟΝ

# De Descensu Christi ad inferos

## Thesis I.



**D**e hoc Articulo Concordie nostrae nono, maximè discrepantes, apud Scriptores Ecclesiasticos extant opiniones & explanationes. Quidam enim cum hunc de descensu Christi ad inferos articulum, non approbare credendo, sed investigare intelligendo conati sint, tam non ad veritatis scopum pervenerunt, ut potius oleum & operam perdentes, inutilibus suis & otiosis questionibus, quàm longissimè à veritatis medio utring, digressi, in absurdas & prorsus eterodoxas opiniones inciderint.

I. Expoſuerunt enim cum vel de sepultura, vel de virtute & *ενεργείᾳ* mortis Christi, vel de doloribus eius infernalibus, quos in anima & corpore Christus sustinuit, vel de toto tempore humiliationis Christi. Alij aliter de hoc sublimi articulo senserunt, atq; sic factum est, ut, dum cui bet hinc suo sensu abundare suave fuit, quo magis quaesita, eo minus inventa sit veritas.

II. Hac varietate opinionum & explanationum in hoc articulo, multi commoti, vel eum, in enumeratione articulorum fidei, silentio prorsus involuerunt, vel in suspenso reliquerunt, quorum in numero sunt multi ex Patribus. Et Cyprianus refert, orientales Ecclesias quemadmodum & Romanum Symbolum, nullam descensus Christi ad inferos mentionem facere.

III. Sed in huiusmodi arduis, salutem nostram concernentibus mysterijs, non iudicio & explanatione hominum, verum decisione & asseveratione S. S. Scripturae standum, & ratio sub obsequium fidei captivanda est. Hic enim de quo nunc agimus, non minus est fidei articulus, quam reliqui Apostolico Symbolo comprehensi. Unde Concordia nostra monet de eo non multum ex ratione disputandum, sed simpliciter eundem fide amplectendum & docendum esse.

IV. Quare & nos istius admonitionis memores, sobriè in eius explanatione versabimur, & simplicissimè hunc articulum, non ductu naturae, sed instinctu Scripturae, κατὰ τὸν ἀποστολικὸν καὶ οὐρανικὸν κανὸνα, praemisso controversiae statu, solito ordine pertractabimus.

CAPUT

## CAPVT PRIMVM.

### Status Controuersia.

VI. Non tantum in primitiua Ecclesia à quibusdam Orthodoxis quoq; Doctoribus de hoc articulo dubitatum fuit, qui eum vel in suspensio relinquentes silentio praterierunt, vel variis interpretationibus in heterodoxum sensum deflexerunt, vel omnino rejecerunt, sed etiam inter A.C. socios, orta super hoc articulo dissensione, triplex mota fuit quaestio.

VII. Prima de tempore. Si Christus ad inferos, vt fide nostram Catholicam & Apostolicam confiteri iubemur, descenderit: quaesitum fuit, quando id factum, ante ne vel post mortem Christi?

VIII. Secunda de modo. Si constet Christum post mortem descendisse ad inferos: vltius quaesitum fuit, quomodo id factum fuerit? An animam tantum, cum corpus iacuerit in sepulchro? An vero animam & corpore simul, & sic spiritualiter Christus ad inferos descenderit?

IX. Tertia quaestio fuit: Num in hoc Christi ad inferos descensu, status Exinanitionis inclusiuè desinat? an vero Exaltationis & gloriosae victoriae & triumphus Christi initium, in eo collocandum?

X. Praeter has, sexcenta aliae, super hoc articulo, scrupulose & ociose quaestiones & disceptationes in Ecclesia extiterunt, quas omnes recensere non est huius loci, cum tantum controversias à Concordia nostra expressas, in statu controuersiae ponere constitutum sit. Quin potius quid in hac opinionum varietate vnicè amplectendum, & sine heterodoxias maculam tunc auersandum sit, in thesi & antithesi, opera precium erit dispicere.

## CAPVT SECVNDVM.

### Thesis siue Affirmatiua.

XI. Pia & vnanimi fidei simplicitate, ad quam omnes Christianos D. Lutherus in concione de hoc articulo Torgae habitam adhortatus est, omnes Form. Concord. subscribentes, huius articuli τὸ ὄτι καὶ διότι confitentur: Christum post mortem & sepulturam totum, secundum vtramque naturam, seu totam personam Deum & hominem, animam & corpore simul, verè descendisse ad inferos, inferni claustra destruxisse, omnesque credentes è potestate Satanæ & mortis, ab aeterna damnatione, atque  
adco

adeò è faucibus inferni liberasse & redemisse. τὸ πῶς verò curi-  
osè perscrutari, usque antehac nulli unquam benè cessit, eius itaq; cognitionem  
alteri seculo esse reservandam, piè nos Concordia docet, & rectè monet.

XII. Simplificissima hæc est & brevissima orthodoxorum, de hoc articulo, con-  
fessio. Sed ne brevit as illa obscuritatem pariat, & sua simplicitati huic constet  
veritas, paulò fufius hæc orthodoxia explicanda erit & confirmāda, contra eos,  
qui asserunt, eam non posse obtineri ex scriptura, nec nisi firmis rationibus.

XIII. Primò itaque hunc fidei nostræ articulum simpliciter,  
κατὰ τὸ ῥητὸν, non sensu tropologico, aut metaphorico, sed  
literali & historico, accipimus de reall & vero Christi ad inferos de-  
scensu. Huius nostræ primæ assertionis fundamenta hæc sunt.

XIV. 1. Testimonia SS. Scriptura. Ipse enim Messias non obscure hunc suum  
ad inferos descensum prædixit apud Prophetam Hoseam cap. 13. v. 14. inquit:  
De manu inferni redimam eos, de morte liberabo eos, ero pestilentia tua, ò mors:  
ero lues tua, ò Inferne. Quò respexit Apostolus 1. Cor. 15. v. 54. ubi Πρωϊκίον  
canit Christo triumphum agenti, & victoriam à morte debellata & inferno de-  
vastato reportanti. Cum primò verò idem Apostolus Articuli huius veritatem  
confirmat Eph. 4. 19. Ceterū, inquit, illud adscendit quid est, nisi quòd descē-  
dit in inferiores partes terra.

XV. Symbola: Apostolicum, quod vti paucissimis, ita & apertissimis &  
clarissimis verbis, hunc nobis articulum describit, quæ verba κατὰ τὸ ῥητὸν, sine  
tropologica, metaphorica, aut exegetica expositione, secundum reliquorū Sym-  
boli articulorum analogiam accipienda esse, nisi Spiritum Sanctum ociose  
βατλολογίας & manifestæ absurditatis ἀγεολόγως arguere quis velit, ma-  
nifestè constat.

XVI. Præsertim cum & Athanasianum suo suffragio hunc litera-  
lem & simplicem sensum comprobet, iisdem verbis & syllabis hunc articulum  
retinens. Accedit & Symbolum fidei Syrmixæ, in quo itidem ille expresse le-  
gitur, vt apud Socratem lib. 2. hist. Ecclesiast. cap 32. videre est.

XVII. 3. Ecclesiæ antiquioris & purioris. Orthodoxorumq; Patrum  
consensus: quorum vnus atque alterius testimonium in conspectu habere vti-  
le est

le est & necessarium. Ignatius, proximus etati Apostolorum huius articuli ex-  
presse mentionem facit, in Epistola ad Trallianos, inquit: *Χριστός ὁ κύριος*  
*κατήλθεν εἰς ἄδην μόνος*, ἀνῆλθεν δὲ μετὰ πλῆθους. Sic & Ambrosius  
hunc articulum simpliciter confessus est: Hic ergo, descendens è caelis in terram,  
homo factus est, post mortuus, descendit ad inferos. Basiliius in Psalm. 44. eum  
etiam disertè ponit: *κατήλθεν εἰς ἄδην, ἵνα παύσει τὴν ἀνάστασιν οἰκονομίας*  
*ἐνεκα*. Eusebius lib. 4. demonstr. Euangelic. Christus portas tenebrarum infer-  
nales à seculo clausas perripit, & mortuis, qui iam dudum catenis mortis vinciti  
tenebantur, reducem ad vitam semitam aperuit.

XVIII Deinde, etiam in hoc articulo confitemur, totam personam Deum  
& hominem, seu integrum Christum secundum utramq; naturam,  
cum corpore & anima ad inferos sese dimisisse. Assertionis huius nostra  
secunda has ponimus probationes.

XIX 1. Analogiam omnium fidei nostræ Apostolicæ articulorum,  
hunc nostrum antecedentium & consequentium, in quibus de toto Christo cre-  
dimus & confitemur: quod sit natus, passus, crucifixus, mortuus & sepultus, re-  
surrexerit à mortuis, & adscenderit in caelum: Ergo ut etiam de toto & integro  
Christo *θεὸν θεῶν* credamus & confiteamur, quod ad inferos de-  
scenderit, sinceritas & unitas fidei omnino à nobis flagitat.

XX 2. Auctoritatem, omni exceptione maiorem, Diui Apostoli Pauli,  
qui de tota Christi persona loquens testatur: ipsum, qui descenderit, eundem es-  
se, qui & adscenderit supra omnes caelos. Ephes. 4. v. 10. Adscendisse verò totum  
& integrum Christum extra controuersiam est: Ergo ut eundem quoq; totum  
& integrum ad inferos descendisse credamus, auctoritate Apostolicâ cogimur.

XXI 3. Personalem duarum in Christo naturarum vnionem, quâ fun-  
damenti loco Damasceus allegat libr. 3. Ort. fid. cap. 28. Quia vna & verbi &  
animæ atque corporis semper, & nunquam duæ fuerunt Hypostases (anima e-  
nim & corpus nullam unquam propriam, sed eam quæ τοῦ λόγου est, hyposta-  
sin habuerunt) impossibile esse, ut anima ab incontaminato separetur corpore,  
& Diuinitas ab utroq; & sic una in duas disseccetur hypostases, quod utiq; fie-  
ret, si non totus Christus ad inferna descendisse credatur.

X XII.

XXII. *Actiones enim cum sint persona, hanc certè (actionem) quæ est descensus ad inferos, ὡς ὅτι οὐκ ἴπσᾱ absq; presentia utriusq; natura personaliter inter se unita, nisi Christum quis diuidere velit, peregrisse minimè statuendum est, sed firmè inconuulsâq; fide, hæc sententia amplectenda est & tenenda: ὡς ὅτι οὐκ ἴπσᾱ τοῦ λόγου incarnatam & σὺνθετὸν absq; natura utriusq; consideratione, nullibi esse aut subsistere.*

XXIII. 4. *Ipsius Redemptionis & Officii Christi ratione: Finis enim & ἐνοραγωσῶστος τοῦ λόγου est, ut opus redemptionis, ad quod præcipuè à patre suo cælesti missus erat, perficeret, totumq; adeò suum officium Sacerdotale & Regium administraret & præstaret, non in altera tantùm natura, sed secundum utrâq;: uti innuit Regula Concilij Chalcedonensis: Vna quælibet natura agit cum Communicatione alterius, quod cuiusq; proprium est.*

XXIV. *Tùm etiam regnum Christi tripartitum, super cælestes, terrestres, & inferos, cuius facit Paulus mentionem Phil. 2. v. 9. id postulabat, ut non tantùm totus Christus in terra, predicatione & miraculis, totus in cælo omnipresenti gubernatione, sed etiam totus in inferno, suris Infernalibus suam ostentaret omnipotentiam, atq; ita uniuersas ac singulas regni sui regiones ac partes totus obiret ac frequentaret.*

XXV. *Hinc est, quod Augustinus dicit libro contra Felicianum Arianum: Christus erat, uno & eodem tempore totus ipse in inferno, totus in cælo. Quam sententiam Thomas Aquinas part. 3 q. 52. art. 3. ex Augustino recitat his verbis: totus Filius apud patrem in cælo, totus in terra, totus in utero virginis, totus in cruce, totus in inferno, totus in Paradiso. Et Magister sent. lib. 3. dist. 12. quæst. 3. Totus eodem tempore erat in inferno, in cælo totus, ubiq; totus.*

XXVI. *Tertiò, etiam quædam de loco, quo Christus descendit, annotasse, certitudo huius articuli requirit. Non enim satis est ore confiteri, & verbotenus recitare illa verba: Descendit ad inferna. Sed necesse est etiam corde credere. τὸ credere verò non nititur ratione humana, & curiosis quæstionibus, aut ociosis speculationibus, sed solo verbo Dei.*

XXVII. *Velle itaq; ubi aut in qua parte uniuersi, & qualis hic locus sit, quærendo indagare, curiositatis magis est quàm sedulitatis: quod enim sacre literæ nequam definiunt & aperiant, id etiam nunquam in hac vitâ ab ulla, quantūvis acutissimâ humanâ sapientiâ, describetur & detegetur, sed indefinitū tectumq; manebit.*

XXVIII.



XXVIII. Quare & huic, de situ & loco inferni, quaestioni Chrysoft. in hom. de pra. sanct. respondet his verbis: Non quo loco sit positus, quin potius quo pacto euitari possit, quaerendum est. Et August. lib. 10. de ciuit. Dei cap. 16. inquit: Ignis infernalis cuiusmodi, & in qua mundi parte futurus sit, hominem scire arbitror neminem, nisi forte cui Spiritus Dei reuelauit. Vbi itaq; tacet Scriptura, nos quoq; tacere tutissimum, & cum multis clarissimis Ecclesiae luminibus nostram ignorantiam confiteri, minime ignominiosum aut turpe nobis est.

XXIX. Contra verò, ex parte ἑλλείψως, epicuream securitate de hoc loco dubitare, aut quacumq; de inferno predicantur, scribuntur, aut proponuntur pro anilibus reputare fabulis, plus esset quam Ethnicum. Ex fabulosis enim Poetarum & Philosophorum gentiliū, de fluuio infernali, Charontis cymba, tricipite Cerbero, Plutonis regno, Rhadamantis iudicio, & id genus aliis stygiae paludis descriptionibus, eos non omnino nihil de inferno statuisse, in confesso est.

XXX. Ad utrumque verò vitandum scopulum, nos edocti oraculis Spiritus sancti, scimus esse infernum, seu locum aliquem damnatorum, & ignem aeternum, Diabolis & omnibus impiis paratum. Matth. 5. v. 22. c. 8. v. 12. c. 11. v. 23. c. 16. v. 18. c. 25. v. 41. 46. Mat 9. v. 43, 44. Luc. 10. v. 15. c. 16. v. 23. Apocal. 1. v. 18. c. 6. v. 8. Num. 16. v. 30, 33. Deut. 32. v. 22. Psal. 49. v. 15. Esa. 14. v. 9. c. 28. v. 15, 18. c. 30. v. 33. c. 34. v. 9, 10. Amos 9. v. 2. Habac. 2. v. 5.

XXXI. Ad hunc locum damnatorum Christum descendisse, Scriptura testis est. Hosea 13. v. 14. 1. Cor. 15. v. 54. Eph. 4. v. 9. Quod & in Symbolo nostro Apostolico simplicissime confitemur.

XXXII. Vox enim illa Infernus, in Symbolo posita, propria & genuina sua significatione tartarum & orcum, seu locum damnatorum denotat, quam & etymon ipsum innuit, quo infernum & infimum, (non tamen respectu loci sed indignitatis, & remotiois à conspectu Dei) significat. Ad quam vocem optime congruit dictum Pauli, Philip. 4. v. 9. Descendit in inferiores partes terra: per quas sepulchra, quae in superficie terra locum habent, intelligi non posse, quis non videt?

XXXIII. Sed καὶ ἀνθρώπων ἕθερα & ἀναλογίαν quandam per inferiores partes terra, infernum nobis describere voluit Apostolus, ut multi ex patribus hunc locum interpretantur. Theoph. Quo Christus descendit? ad inferos.

Hos

Hos enim, infimas terra partes appellant iuxta communem sententiam & intellectum. Augustinus: Ideo sub terris dicuntur inferi & creduntur, quia congruenter in spiritu, per illas corporalium rerum similitudines, sic demonstrantur.

XXXIV. Et hoc erat, quod Messias diu ante apud Prophetam Hoseam promiserat, se de inferno suos redimere, & de morte eos liberare velle. Quam promissionem indicat Nouum Testamentum & Symbolum Apostolicum, ipso reali Christi descensu ad inferos, impletum esse. Cum enim hoc, quod de liberatione ex morte prädixerat, morte suâ verâ Christus impleuerit, quis, cum etiam illud alterum, de redemptione ex inferno, promissum, descensu suo ad inferos vero & reali impleuisse, negaret?

XXXV. Quemadmodum itaq; nos morti addictos, mortem oppetendo, de morte liberavit: ita etiam nos inferno destinatos, infernum visitando (saluo toto Redemptionis opere) de inferno redemit. Atq; sic hunc articulum in vero & literalis suo sensu κατὰ τὸ πῦρ accipiendum & credendum esse, hactenus demonstrauimus.

XXXVI. Quartò. Restat nunc vt de causa finali huius Christi ad inferos descensus, aliquid audiamus. Nequaquam verò Christus propterea ad inferna descendit, vt nouos ibi cruciatus sustineret: passionibus enim omnibus & animæ & corporis in cruce, voce illâ, consummatum est, terminum & sinem imposuit, quem mors, alias vltima omnium passionum & miseriarum linea, continuo subsequuta est.

XXXVII. Sed causam descensus Christi ad inferos nobis ostendit Apostolus Ephes. 4. v. 10. Ideo descendisse & ascendisse Christum, vt omnia impleret, maiestate nimirum suâ omnipresentiæ & omnipotentie, quam non tantum ascendendo in celos, sed etiam descendendo in infernum, spiritibus infernalibus presens ostendere & exerere voluit.

XXXVIII. Secundam causam descensus Christi, Lutherus in concione, Torge anno 34. habita, hanc ponit: Descendit ad inferos, vt & nos, qui debebamus in inferno captiui iacere, inde liberaret. Christus omnia nostrâ causa fecit: passus est, ne nos in eternum pateremur: mortuus est, ne nos æternâ morte periremus: descendit ad inferna, quia nobis illud iter peragrandum erat. Quare ille pro nobis, tanquam victor mortis & consummator totius operis Redemptionis, inferni barathrum visitans, deuastauit, confregit, concussit, Diabolum debellauit, debellatum exspoliavit, exspoliatum catenis tenebrarum constrinxit, constrictum in spectaculo tanquam triumphator circumduxit, omnibusq; suis ex captiuitate infernali, & diabolicâ potestate liberatis ac redemptis,

trophæum sua victoria reportavit. Osea 13. v. 14. 1. Cor. 15. v. 55. Coloss. 2. v. 15. Zach. 9. v. 11. Hebr. 2. v. 15. Psal. 68. v. 19. Ephes. 4. v. 8.

XXXIX. Vnde sequitur hunc articulum descensus Christi ad inferos esse triumphus eius initium, & non ad Exinanitionis, sed Exaltationis statum referendum. Ille enim status, tantum ad conversationem Christi servilem in hoc mundo pertinet, cui Christus morte sua renunciavit. Conterere vero portas aereas, & confringere vectes terreatos Psal. 107. v. 16. non servilis conditionis, neque huius sed alterius vite opus est, quo primum Exaltationis gradum incepit.

XL. Quemadmodum & multi ex patribus eum, ad statum Exaltationis Christi referunt. Ignat. ad Trallianos. Hieronymus, Cyprianus. Orig. in Ep. st. ad Rom. lib. 5. Athanas. de Incar. Christi. Ambros. lib. 3. cap. 3. de fide ad Gratianum. Damascenus lib. 3. cap. 39. Atque Haecenus de thesi.

### CAPUT III. Antithesis seu Negativa.

XLI. Ἐτεροδοξία in hoc articulo duplex est: Negans & reiiciens eum, una, & altera in affirmando. omnino diversas à Scriptura sententias, fovens.

XLII. Negantium quadruplex caterva est, opposita nostrae primae thesæ assertioni. Prima hunc de descensu, cum priori de sepultura, articulum coniungens illam huius ἑξήγησιν esse affirmat. Beza in cap. 2. Act. & contra Sebast. Castell. Bucerus in 7. cap. Matth. VVhitakerius de sac. Script. contra Bellar. quest. 6. Sed pro nobis contra hos respondent illorum gregales. Vrsinus in Cat. Expl. quest. 47. inquit: si quis articulum posteriorem prioris exegesis dicat, nihil dixerit: quoties enim duæ locutiones, rem eandem exprimentes coniunguntur, ita ut altera sit alterius exegesis, posteriorem prioris clariorem esse convenit: Deinde non est verisimile in hoc Symbolo tam brevi & succincto, eandem rem bis dici verbis commutatis. Aretius part. 1. probl. loc. 15. Absurda est hæc defensio. Probandum itaque illis est, quod hoc loco descendere idem sit quod sepelire, & cur res eadem bis ponatur, & obscurius quidem posterius. Calvin. lib. 2. cap. 16. sent. 48. Cum itaque hoc commentum inanis & otiosæ Βασιλοδοξίας Symbolum Apostolicum insinulet, merito explodendum est.

XLIII. Secunda de vi & efficacia mortis Christi hunc articulum intelligit, quod vel ea profuerit etiam inferis, id est, mortuis in fide. Zuingl. lib. Epist. Ep. 3. Bulling. in cap. 2. Act. vel descenderit ad inferos, beatificans & illu-

& illuminans sanctos patres in limbo constitutos. Durand. lib. 3. dist. 22. quest. 3. Sed præterquam quod hæc opinio t̄ō p̄t̄ō aduersatur, etiam hac absurditate laborat, quod virtutem mortis Christi inferis tantum concedat, cum ea potius ad omnes tam superos quam inferos se extendat.

XLIV. Tertia de sensu v̄e Dei & doloribus ac cruciatibus damnatorum, quos Christus in animâ maxime in horto & agone mortis perpeffus est, explicat. Calvin. lib. 2. Instit. c. 16. Vrsinus in Catech. Expl. quest. 44. Sed quia hæc sententia v̄s ego t̄ō p̄t̄ō laborer, ipsamq; Christi passionem & realem ad inferos descensum confundat, tropumq; inuehat, suis est relinquenda authoribus.

XLV. Quarta hunc articulum, vel ad tempus illud conuersationis Christi totum, quo ille in forma serui existens sese extreme exinanivit, accommodat, vel extremum & infimum humiliationis gradum, vsq; ad mortem & sepulturam, hac phrasi denotari contendit, quasi dicatur: Christus mortuus & sepultus est, atq; ita descendit. Schonius in disp. de dupl. statu Christi th. 15. Sed hæc sententia tropologico suo sensu omnes articulos confundens, minime verbo Dei & Symbolis orthodoxus est analogus.

XLVI. Affirmantium hunc articulum triplex est diuersitas, tribus nostris posterioribus in thesi positis assertionibus contraria. Quidam enim tam ex prisca quam neotericis scriptoribus secunde nostræ assertioni contradicentes docuerunt, non totum Christum, sed secundum animam tantum, seu spiritum Diuinitati vnitum descendisse ad tartareas sedes. August. de præscientia Dei ad Dardan. Epist. 99. & tractat. 78 super Iob. Epiphanius in Ancorato. Bellar. Tom. 1. Contr. 2. lib. 4. c. 15. 16. Arct. probl. part. 1. loc. 15.

XLVII. Hos verò nihil potest iuuare dictum illud à Petro ex V. T. citatum: non derelinques animam meam in inferno. Nam si vel maxime locus ille, de descensu Christi ad inferos proprie sic dicto, acciperetur: tamen vocabulum anime synecdochicè pro toto Christo, vt in alijs multis locis vsurpatur, etiam hic accipendum esse, pacata foret responsio.

XLVIII. Quare cum hac quoq; sententia, analogie fidei omnium articulo- rum, authoritati scripturæ, personali duarum in Christo naturarum vnioni, & deniq; ipsius redemptionis & officij Christi rationi, repugnet & ogganniat, merito etiam exulare iubetur.

XLIX. Deinde, quidam etiam tertie nostræ assertioni, oppositi ipsum infernum exactè, poëtarum instar Ethnicorum, nobis depingere & delineare non erubuerunt, locum ei in medietate terre, & quatuor assignantes distincta conclauias & contignationes, ad quarum supremam, quam limbum patrum vocitant, Christum descendisse, vt patres inde liberaret, nugantur. Hieron. in cap. 4. ad Ephes. Orig. homil. 15. in Gen. Thomas Aquin. part. 3. quest. 52. artio. 25.

Duran-

Durandus lib. 3. dist. 22. quest. 4. Gerson lect. 2. super Marc. Comp. Theol. verit. lib. 4. C. 22. Bell. Tom. 1. Contr. 2. lib. 4. C. 10. Sed vt hæc sententia in cerebro humano nata & commentitiè ficta, sine vlllo scripturæ fundamento traditur, ita eadem, qua asseritur, facilitate quoq; reijcitur.

L. Denique, non desuerunt etiam inter A. C. socios, qui Christum in inferno nouos cruciatus pro animabus hominum sustinuisse, asseuerarent.

L I. Sed hæc sententia 1. omni scripturæ fundamento caret. Illa enim loca, in quibus Christus de angustiis & doloribus inferni, qui se circumdederint & comprehenderit, conqueritur Psal. 16. v. 10. & 18. v. 6. & 116. v. 3. non de cruciatibus post mortem, sed de hisce, qui ante eam in torto & cruce, imò per totam passionem sustinuit, quos descensus subsequutus est, intelligenda sunt. Nominantur autem infernales καὶ ἐξοχῆν, quia fuerunt tanti, quantos eos damnati experiuntur, nobisq; omnibus experiiri necessum fuisset in inferno, nisi Christus eos pro nobis sustinisset.

L II. 2. Derogat sufficientissimo sacrificio crucis, & passioni Christi acerbissima, in corpore & anima ante mortem perpeffa, qua tanquam sufficientissimo λύτρωσιν omnium hominum iniquitates expiauit. Esa. 42. v. 42. c. 53. v. 5. 1. Iob. 1. v. 7. Coloss. 1. v. 20. c. 2. v. 14. 1. Pet. 1. v. 19. Ebr. 9. v. 16.


L III. 3. Deniq; etiam ipsi promissioni dulcissima Christi in cruce latroni factæ: hodie mecum eris in paradiso: & enunciato eius supremo & vltimo: Consummatum est: repugnat, quo toti operi redemptionis & passionis colophonem & terminum imponere voluit.


L IV. Quare hanc quoq;, & id genus alias erroneas & absurdas opiniones missum facimus.

Nos potius in hoc fidei nostræ Apostolicæ articulo sobriè versantes, eum vera & simplici fide amplectimur, & plenariam eius, quemadmodum & reliquorum omnium, cognitionem in celestis Academia conuersationem reseruamus.

μὲν τῷ Θεῷ δοξα.







Contin  
 De D  
 PRO F  
 CHRI  
 Moder  
 S V B  
 Revere  
 Dn. LE O  
 TERI, S. S.  
 & Professoris in  
 bergensi Pub.  
 Theolog  
 M. PETRU  
 Ad diem 18  
 VViteb. Ex Off



16

